



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 52. Capitulum undecimum. Quod agendum, si contra sua Privilegia  
in Jus vocentur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

cii dicant unum Responsorium, cum Collecta; *Deus venia largitor. &c.* Et per hoc satisfaciunt Officio Regulæ. Qui recitant Officium parvum B. Virginis, & Equites Ordinum Militantium, recitando suorum Ordinum Officia, etiam satisfaciunt; si tam hi, quàm illi adjungant aliquas Orationes pro Fratribus defunctis, & animabus in Purgatorio, Gloria Patri (quod notatur in hoc Capitulo Regulæ) dicatur post quodvis Ave Maria, addendum ad Pater noster. Quod Ave quidem vi Regulæ non præscribitur, ex pio tamen usu Devotorum addi solet. Unde quinquaginta quatuor vicibus dici debet Ave MARIA, & Gloria Patri; quia toties dicitur Pater noster, & qui Horas non recitant illo tempore, quo à Communitatibus solent recitari? dicant pro Pœnitentia ter Pater & Ave. Suadetur etiam omnibus, ut singulis diebus recitent Coronam B. Virginis,

*Quòd omnes, qui de Jure possunt,  
condant Testamentum.*

#### CAPITULUM IX.

**L. P**Ræterea omnes, quibus de Jure facultas fuerit, condant testamentum, & de bonis suis, infra tres menses ab ingressu suo in Ordinem immediatè sequentes, disponant, ne contingat quenquam illorum intestatum decedere,

#### STATUTA CAPITULI IX

**O**Rdinatur, ne ullus ad Professionem quodammodo admitratur, qui non fecerit Testamentum, si de Jure facere possit. Præcipitur autem Confessariis Ordinis nostri, qui vocantur, ut adjuvent, dentque consilium pro Testamento condendo; ne Testatorem sollicitent, ut aliquid Ordini nostro relinquat, sed reminiscantur potiùs, quòd nos Professioni nostræ congruenter, pau-

peritatem & contemptum rerum temporalium, secundum exemplum S.P.N. quærentes, sequamur consilium Apostoli: *Non quærimus vestra, sed vos.*

*De Pace inter Fratres & Externos componendâ.*

#### CAPITULUM X.

**LI. D**E pace inter Fratres, & Sorores, seu etiam alios extraneos in discordia positos faciendâ [sicut Ministris videbitur] ita fiat; adhibito etiam, ubi opus fuerit, hæc in parte Episcopi Diœcesani consilio,

#### STATUTA CAPITULI X.

**U**T pax & concordia conservetur tam inter Fratres hujus Ordinis, quàm inter Christianos omnes, Proximos nostros; quærat Fratrum quilibet, ad imitationem Christi, dissidentes componere, sedare discordias, animosque hostiles reconciliare; inquirendo modos, & media, quibus christiana, fraternaque Charitas, & pax communis conservetur.

*Quid agendum, si contra Privilegia  
in Jus vocentur?*

#### CAPITULUM XI.

**LII. S**I Fratres, vel Sorores contra Jus suum, & privilegia, per vim à Rectoribus locorum (ubi Domicilium habent) vexationibus impetantur? Ministri ad Episcopos, seu locorum Ordinarios sument recursum; juxta quorum consilium sese dirigant, & procedant.

*Cui Capitulo Statuta nihil addiderunt,  
quòd Fratres à juramentis publicis pro  
possibili abstineant.*

#### CAPITULUM XII.

**LIII. A**Juramentis publicis omnes abstineant, nisi urgeat necessitas. Videli-